

PASTÆ ET TROHISCI. 241

ELÆOSACCHARUM Melaleuca-Leucadendri.

———— Citri medicæ.

———— aurantii.

NB. Hæc duo ultima etiam simpliciter
adfricando saccharum cortici flavo fructus
recentis parantur.

PASTÆ ET TROHISCI.

PASTA ALTHÆÆ.

℞. Radicis Althææ officinalis concisæ uncias
quatuor.

Aquæ bullientis libras octo.

Infunde per noctem; dein cola et in co-
latura fervida dissolve

Gummi Mimosæ Niloticæ,

Sacchari albi ana libras duas.

Cola et spatula lignea aut argentea con-
tinue agitando, leni calore ad mellis consis-
tentiam evapora. Massam ab igne remotam

multum et celeriter agita, ut albescat; eique pro re nata admisce

Albumina ovorum, in spumam quassata, numero duodecim.

Aquæ florum Citrus-aurantii uncias duas.

Detine adhuc per breve tempus super ignem, dein effunde in capsulas papyraceas et loco calido penitus exsicca; tandem in taleolas scinde et usui conserva.

Usus: Raucedo; tussis sicca; catarrhus.

TROHISCI AMYLI.

SYN. *Trohisci pectorales albi. Ph. Ed.*

℞. Amyli unciam unam.

Gummi Mimosæ Niloticæ uncias quatuor.

Sacchari albi libram unam.

Acidi Benzoici drachmam semis.

In pulverem simul trita dissolve in Aquæ Rosæ (vel florum citrus-aurantii) quantum opus,

Ut fiant Trohisci.

TROHISCI ANTACIDI.

℞. Magnesiae (vel carbonatis calcis) uncias
quatuor.

Radicis Amomum-zingiberis pulv. scrupulum unum.

Sacchari albi uncias duas.

Simul tritis adde

Mucilaginis gummi Mimosæ Niloticæ quantum satis,

Ut fiant Trohisci.

Usus : Pyrosis, aliive morbi ex acido primarum viarum.

TROHISCI SEDATIVO-BALSAMICI.

SYN. *Trohisci pectorales cum opio*. Ph. ED.

℞. Opii puri drachmas duas.

Tincturæ Balsami Toluiferæ balsamicæ unciam semis.

Simul trituratione intime mixtis adde

Syrupi simplicis uncias octo.

Extracti glycyrrhizæ glabræ, aqua calida emolliti, uncias octo.

Simul probe tritis adde gradatim

Gummi Mimosæ Niloticæ pulv. uncias
quinque,

Donec massa consistentiam debitam ac-
quisiverit, ut inde fiant Trohisci granorum
decem.

NB. Trohisci tales sex continent cir-
citer granum unum opii.

Usus : Tussis sicca ; expectoratio difficilis ;
phthisis pituitosa ; morbi pulmonum ato-
nici.

TROHISCI GLYCYRRHIZÆ.

℞. Extracti glycyrrhizæ glabræ,
Gummi Mimosæ Niloticæ ana uncias
quatuor.

Sacchari albi uncias octo.

Dissolve in

Aquæ fervidæ quantum satis.

Colaturam leni igne evapora ad consis-
tentiam debitam, ut fiant Trohisci.

Usus : Tussis ab acri ; expectoratio difficilis.

TROHISCI HYDRARGYRI.

℞. Oxydi Hydrargyri nigri unciam unam.
 Olei volatilii petalorum Citrus-Aurantii
 guttas viginti.

Sacchari albi uncias duas.

Mucilaginis gummi Mimosee Niloticæ
 quantum opus,

Ut fiant lege artis Trohisci granorum
 decem.

Usus : Syphilis.

Dosis : Trohiscus unus, bis terve de die.

TROHISCI STIBIATI.

SYN. *Morsuli antimoniales* KUNKELII.

℞. Sulfureti Stibii nigri drachmas tres.

Amygdalarum dulcium decorticatarum
 unciam semis.

Elæosacchari Citri drachmam unam.

Immisceantur

Sacchari albi, in aqua cinnamomi so-
 luti et ad debitam consistentiam cocti, un-
 ciis tribus cum dimidia.

246 PASTÆ ET TROHISCI.

Formentur inde Trohisci drachmæ unius ponderis.

Usus : Dyspepsia ; morbi cutis.

TROHISCI E SULPHURE.

℞. Sulphuris præcipitati uncias duas.

Acidi Benzoici scrupulum unum.

Sacchari albi uncias quatuor.

Simul tritis adde

Mucilaginis gummi Mimosæ Niloticæ quantum satis ,

Ut fiant Trohisci.

Usus : Morbi pulmonum atonici.
